



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ivdx Magistratevs Senator

Zype, Franciscus van der

Antverpiæ, 1633

Cap. XL. Non rixosus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14280

C. de hered. decur. nauc. & ita in Collegiis Ecclesiasticis intestatis succedit Collegium, vt latiùs diximus in Iuris noui anal. de testam. num. 1. & seq Nec in eo differunt, quòd decuriones, si sine prole decederent, quartam bonorum partem curiæ relinquerent. *l. 1. 2. C. quando & quib. 4. pars.* Nam & ita Ecclesiasticos, quæ ab Ecclesia profecta sunt, Ecclesiæ relinquere, non augendis amicis impendere statuit Trid. *sess. 25. c. 1.* quare decuriones facultates dissipare solebant potius, quàm curiæ relinquerent. quod & olim in clero frequentius erat, vt splendidius & lautius viuerent, pro dignitate Ecclesiarum, antequam tanta libertas testandi de acquisitis intuitu Ecclesiæ irreferat.

CAPVT XXXX.

Non Rixofus.

Semper iurgia querit malus: Angelus autem crudelis mittetur contra eum. *Prou. 17.* & iterum: Honor est homini, qui separat se à contentiõibus. Nulli sunt Iudici inimici excitandi, aut exasperandi. satis inimicorum dabit officium bene exercitum. quos tamen humanitate placare oportet, & constanti passim opinione, quòd leges apud eum omne semper punctum tulerint, nullum affectio.

§. I.

Non nimis aulicus.

Nequè abhorreat ab aula vt rusticus, si quod eò negotium vocet, neque iners otia aulæ negotia sua faciat. Rara virtus in aulæ negotiis versantem pium esse. Nulla vnquam in ipsius otiiis volutantem virtutes in comitatu habere. Infelix talium felicitas, & plerumque in præcipitia declinans. *Status enim eorum fragilis est ac tenuis, & in voluntate regia spes omnis, quibus leuis offensa summum periculum fit: secunda autem res, vile ministerium.*

§. II.

Non tristis.

Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, & scientiam, & letitiam. peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluam.

*suam. Eccles. c. 11. Morosa tristitia & tristi nocet, & iis quibus-
cum versatur. Sicut tineæ vestimento, & vermis ligno, ita tristitia vi-
ri nocet cordi. Prou. c. 25.*

§. III.

Modestus.

Modestæ fama neque summis mortalium spernenda est, & à Deis
æstimatur. Tacit. *Annal. lib. 8.*

*Oculos sublimes detestatur Dominus. Prou. 6. Populum humilem
saluum faciet, & oculos superborum humiliabit. Psalm. 17.*

*Agricola virtute in obsequendo, verecundiâ in prædicando, extra
inuidiam nec extragloriam erat. Tacit. in eius vita. Modestia sanè
neque temporum iniquitati cedit, neque vigorem excutit.
Sciunt, inquit idem Tacit. ibid. quibus moris illicita mirari, posse
etiam sub malis Principibus magnos viros esse, obsequiumque ac mode-
stiam si industria ac vigor adsint, eò laudis excedere, quò plerique per
abrupta, sed in nullum rei post usum, ambitiosâ morte incla-
ruerunt.*

§. IV.

Propositi tenax, non peruicax.

Sapientis est consilium, opinionem, sententiam mutare
meliori ratione & causâ allata. veritatē enim amat, nō opi-
nionem suam. *Vir impius procaciter obfirmat vultum suum; qui
autem rectus est, corrigit viam suam. L. Minutius victus apud
Linium l. 22. eum statuit primum esse virum, qui ipse consulat
quod in rem sit: secundum eum, qui bene monenti obediat:
qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, eum extremi
ingenij esse. Nos secundam sortem ingenij teneamus, vbi
prima negata est.*

§. V.

Promissi memor.

Promissorum memor & representator sit. *Non decent
stultum verba composita, nec Principem labium mendax. Prouerb.
17.*